

terea, minus rectè Materia in ordine ad generationem & corruptionem consideratur, In ordinè ad corpus considerari debebat, non in ordine ad mutationes sive omnes sive aliquas. Constat hoc ex naturâ subjecti & ex naturâ Methodi Syntheticae, quin ex confessione adversariorum ipsâ. Quæ & alia huc maximè facientia propugnat *B. Sperlingius in question. suis Naturalib9*. Et hinc nos destructâ Materiæ primæ existentia, supersedemus meritò definitione ejusdem & effectibus destruendis, cum non Entis nulla sint accidentia.

### Tertium.

Materia prima Peripatetica nec cum Mosaicâ illâ rudi & indigestâ mole convenit, nec cum Materia nostrâ simplici.

*Timplerus c. 4. Phys. Gener. quest. 2.* materiam primam, vocat massam illam rudem à DEO in principio creatam. Unde *Magirus Comment. in Physiol. L. 1. C. 2. ad lit. E. qv. 3.* ait: Verè affirmare possumus, Philosophum non nisi divino afflatu hoc principium aliis Philosophis incognitum induxisse. Verum materia illa αὐοεφⓈ non solùm materiam, sed integra corpora complectebatur. Affuit ibi forma confusionis, licet non distinctionis. Non caruit moles illa omni formâ, sed compositâ & perfectâ. Et ubi nunc chaos illud, ut in id resolvantur ultimò, quæ corrumpuntur. Sic Materia prima nec convenit cum Materia nostrâ simplici, quod *Benedictus Pererius l. 5. de Mat. & Priv. p. 288.* sentit, dum dicit: Nisi detur materia prima, nullum est corpus simplex, & porro: Quæ sunt præter materiam primam, sunt formæ, quarum priores & imperfectiores dicuntur materia posteriorum & perfectiorum aut certè sunt composita &c. Sed materiam simplicem esse illam materiam primam, nullo modo concedi potest vel ex propriis adversariæ partis hypothsibus. Quippe multa de materiâ primâ dicuntur, quæ simplici attribui nequeunt. Materia prima subjectum generationis & corruptionis dicitur; simplex nullius est. Hinc ibi quoq; est materia simplex, uti non est generatio, non est corruptio. Prima materia non est quid, quanta, qualis &c. At Simplex est quid, quanta, qualis. Simplex quid est materia illa, sed materia simplex non statim est materia

Aristotelis. Quibus de plura alibi.

Ⓢ